

*Pſalm ſkal ſeigia*, pſalmum dicam &c. Singularem forma ſunt Librarii noſtri *f. k. et th.* neque multum differunt. Anno 1528. illata eſt *Iſlandiae* Typographia teſte *Finno Johanna* in *Historia eccl.* edita *Hafniae* 1772-75. qui etiam Indicem omnium ibidem impreſſorum Librorum textit. Atque hos inter comparent *Biblia* ad an. 1584.

## LXIV.

C. 941 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 253. 4. caractere luculento exaratus, et auro, coloribusque, minus tamen ex arte ſplendidus *Pſalterium* e *Parthenone Halenſi* allatum continet, praemiſſo *Calendario* non adeo nominibus SS. turgente, in quo cum mense *Aprili: Petri martiris de ordine fratrum predicatorum*, *Majo: Translatio beati Dominici*, *Septembri: Anniuerſarium familiarium et benefactorum noſtrorum* legas, credibile fit, *Codicem* pro quodam hujus Ordinis Coenobio primum ſcriptum fuiſſe, quo pertinet etiam *Fol. 130. p. 2.* icuncula *Sodalem Dominicanum* exhibens *Feminae Principi*, ut videtur, prae templi cujuſdam foribus ſedenti, ejuſque fortaffe *Conditrici*, *Codicem* offerentem. Quibus ſi addas, in adjectis ſub finem *Litaniiſ* orari *pro Duce noſtro*, res *Tyrolim, Adelheidemque Alberti Com. filiam Meinbari III. Gorit uxorem et Parthenonis Steinach O. S. Dominici fundatricem 1275.* defunctam, *ſcriptionis* vero tem-

pus *Fridericum* aut *Sigismundum* jam ex *Auſtriacis* Duces ſpectare poteſt. Ipſum porro *Pſalterium* *Icones Chriſti* plagis notati, *Davidisque* citharam pulſantis deauratas et picturatas primae *Pſalmi I. literae B.* incluſas praefert; reliqua verſus 1. literis aureis uncialibus ſequuntur. Aliae *Pſalmorum* initiales literae diverſas picturas offerunt, in quibus instrumenta etiam muſica. *A fol. 227. p. 2.* adjuncta ſunt reliqua *Cantica Biblica*, *Hymnus Ambroſii*, *Symbolum Quicumque*, et *OO. SS. Litaniae.*

## LXV.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 40 XV. Folior. 275. 4. caractere grandi pereleganter exaratus, literisque initiorum deauratis et picturatis ſpecioſus, *liturgicus* eſt, qui primo exhibet *Calendarium*, quod e quibusdam *Festis ad Belgium* referas, et in quo *Apparitione S. Michaelis* mense *Majo Inuencio* dicitur. Succedit *Pſalterium* notato ſimul *Pſalmorum* uſu in *Officio Chori*, et ad hujus calcem non tam recte, quam pulcre minio: *Explicitum eſt pſalterium deo gratias continentem in ſe CL. pſalmos. Nunc uero incipiunt cantica qui per ferias dicuntur, et primo, ſſeria ſecunda, Canticum yſaie prophete.* His adjunguntur: *Canticum ſancti ambroſij et ſancti auguſtini de laudibus angelorum, Cimbolum fidei compoſitum per athanaſium epiſcopum, et Litaniae OO.*